RUPERTUS TUITIENSIS
2. Hälfte 12. Jh. Seite 104v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36521
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



solabitur me. Nam leua eius subcapite meo. et dextera illius am
plexabitur me. leua eius idem temporalis intellectu prosperitas
ne in laboribus deficiam sustentabit me: neque temptari di
mittet supra id quod possum sustinere: et dextera scilicet
spes retributionis eternae non incerta. fortius atque abundan
tius letificabit atque delectabit me. fiet mihi iam in isto
seculo consolatio haec. ut ipsi reges uel principes mihi dentur
in famulatum. in illa uero dextera uero immortalitas regnat.
ipsum uisura sum ego uisione eterna in decore suo. fratrem
meum dilectum meum. regem regum. et dominum dominantium iamque
tantum bonum pregustare cupio. per contemplationis studium.
s Adiuro uos filiae hierusalem ne suscitetis neque euigilare
faciatis dilectam donec ipsa uelit. Hoc sciens ipse frater meus
quia solos meditor uel meditari cupio amplexus dex
terae eius. ne inquit suscitetis neque euigilare faciatis di
lectam donec ipsa uelit. Ne inquam suscitetis. uidelicet
eo modo quo martha suscitare uolebat mariam sororem suam.
Maria namque sedens ad pedes dilecti audiebat uer
ba oris eius. Hoc erat requiescere. At illa quae satage
bat circa frequens ministerium uolens eam suscitare.
domine inquit non est tibi curae quod soror mea reliquit me sola
ministrare. Dic ergo illi. ut me adiuuet. Cunctis filiabus
eiusmodi quae corporale ministerium siue actuale
uitam nesciunt. discernere quantum distet a dignitate
contemplationis dictum hoc esse nemo dubitet. ne susci